

243  
+  
Discursus Logicus

D E

SYLLOGISMO  
IN GENERE,

QUEM

Divinâ auxiliante gratiâ,

In Celebrî Universitatè CHRISTINÆ

ABOÆ qua Fennorum est,

Ex consensu venerandi Collegij Philosophici,

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI,

M. PETRI AND. BERGII

SUDERMANNI, Facult. Philosoph. Adjuncti  
meritiis: Præceptoris & Fautoris sui jugi observantiâ colendi,

*Liberale Exercitiū Ergò, Candidorum Judicio*

*Publicè ventilandum submittit*

STEPHANUS ST: LIPPIUS

CALMARIA SVECUS.

In Majori Auditorio ad diem <sup>Novemb:</sup> ~~Novemb:~~ Anni Æræ  
Christianæ 1650. Horis ab 8. vâ antemerid.

ABOÆ

Imprimebat Petrus Bald/ Acad. Typog: 1650

VIRIS

*Reverentiâ, Claritate, Doctrinâ & Prudentiâ  
Conspicuis,*

M. STEPHANO JONÆ

Præpos. & Pastori in Kiöpingh digniss. Nec non Consi-  
storij, Calmar: Adfessori Seniori, Patri longè Charissimo.

M. NICOLAO HOLGERI

Scholæ Calmariensis Rectori solertissimo, & Consi-  
storij Adfess: graviss: Præcept: & Affini plurimū honorādo.

DN. JONÆ JONÆ

Pastori in Gerßlösa vigilantissimo, Patruo per-  
quam amando.

M. OLAO HOLGERI

Præposito & Pastori in Söderåker attentissimo,  
Præceptori & Sororio perpetim colendo.

M. JONÆ STEPH: LIPPPIO

Arcis Calmariensis Concionatori diligentissimo,  
Fatri Germano Svavissimo.

DN. DAVIDI HJösch Civi Calmariensi pru-  
dentissimo, Sororio itidem dilecto.

*Tyrociniū hocce Academicum in obsequenti gratiq̃ a-  
nivi indicem & sui, suo tempore, promovendi spem, sub-  
misit ac per officiosè litat ac transmittit*

STEPHANUS LIPPPIUS

Author & Respondens.

## Prooemium.

**S**I cui volupe esset doctrina syllogistica decantare laudes, amplissimum hic dicendi campum haberet: Omne siquidem Doctorum genus huc tanquam ad æquissimum recurrit tribunal, huc sua, quævis Facultas scilicet: Theologica, Juridica, Medica & Philologica, dubia transmittit, & probata vel improbata repetit, Res nõ caret admiratione, quod quæstio quævis ut ut absurdissima, per duas tantum præmissas demissa, manifesta evadat, Hoc instrumento destitutus in nullo disciplinarum genere, firmo ac felici progredi potest pede, Hoc adeò est verum, ut qui Logicam aliàs contemptui solent habere, agnoscant ac nolentes & volentes fateantur banc doctrinam non modo utilem sed etiam apprime necessariam esse cuiusvis accuratè philosophanti. Sed Oratorem nunc agere vetat instituti ratio, nec luci per se manifesta lucem addere necesse est, constitui enim, bono cum Deo, Doctrinam syllogisticam hac vice, qualicumq; penicillo generalitèr adumbrare, & ad disputandum proponere, cui audacè instituto benedicat DEUS ex alto.

### Thef. I.

**A**Ntequam res definiatur, monent logici nomen esse explicandum, præcipuè verò cum illud sit ambiguum.

Horum itaq; rectè monentium vestigia premens, Syllogismi Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam paucis declarabo.

II. Etymologiam Syllogismi quod concernit, dr. Syllogismus ἀπὸ τῆς συλλογίζεσθαι, quod est, computare, calculare, Ratiocinari, rationem subducere, vel summam colligere, unde liquet vocem hanc propriè ad Arithmeticos & potissimum ad Reg. auream spectare, & per translationem ac similitudinem ad hanc doctrinam ac mentis discursum significandum, traductam: ut enim ibi ex tribus numeris datis alius proportionalis inquiritur, ita hic ex datis tribus terminis in antecedente legitimè dispositis, summa quædam colligitur, quæ conclusio dicitur.

III. Circa Homonymiam vocis sciendum Syllogismum variè accipi, nam sumitur, 1. Latissimè, annotante Scheib. pag. 674. n. 4. pro omni instrumeto sciendi, & sic comprehendit etiam methodum. 2. Specialitèr & per excellentiam pro syllogismo perfecto seu manifesto, exclusis Enthymemate, inductione & exemplo alijsq; Crypticis. Melan: L. 1. Erot. Dial: p. 141. 3. Synecdochicè idq; dupliciter 1. pro sola conclusione, ut cum dicimus: hic Syllogismus, i. e. conclusio non ferit thesin. 2. pro solis præmissis. Sic Syllogismus demonstrativus dicitur constare ex solis causis immediatis conclusionis. 4. propriè & medio modo pro præmissis & conclusione simul sumptis, sive actu ponantur omnes sive virtute & potestate, quæ acceptio hic attenditur.

Ad huc notandum quod Syllogismus in hac ultima acceptione possit accipi vel 1. Pro habitu seu promptitudine faciendi Syllogismos, crebris actionibus acquisita. 2. pro ipso actu Syllogizandi seu operatione syllogistica. 3. Pro ipso Effecto seu Syllogismo elaborato juxta præcepta

cepta Syllogismi. 4. Pro doctrinâ legitimè dispositi-  
di Syllogismos, Hæc maximè nostro interviv instituto.

IV. quoad Synonymiam dicitur Syllogismus alio  
nomine. 1. Ratiocinatio, quæ tot modis accipitur  
quot Syllogismus, 2. Argumentatio, quæ totidem mo-  
dis sumitur. 3. Aliquando Syllogismus argumentum  
dicitur sed ab Effectu scilicet metonymice.

V. Exposita sic Definitione Nominali, appendenda  
nunc venit Realis, Definitur Syllogismus à Ramo no-  
stro: *Dianoia, quâ questio cum argumento tertio ita disponi-  
tur, ut posito antecedente necessariò concludatur.* In hac  
Definitione duo notanda veniunt: Genus scilicet &  
Differentia.

VI. Genus est *Dianoia*: tum quia requisita *Diano-  
ias* (scilicet 1. continere plures notitias, 2. Easq; ab invicem  
dependentes, & 3. unam aliâ notiosem) syllogismo  
conveniunt. Tum quod de Syllogismo & Methodo in  
quid prædicetur, seu quod sit totum quoddam hisce par-  
tibus essentiali. Tum deniq; quia in syllogismo unum  
axioma ex alio deducitur, scilicet est propositione assumptio,  
& ex utraq; conclusio. Notandum tamen quod *Dianoia*  
(ἀνοία ἢ διανοία 1, e. ratiocinari, & à noto ad igno-  
tum discurrere deducta) missis alijs significationibus, 1.  
Notet ipsam hominis mentem. 2. Naturalem ejus di-  
scurrendi facultatem. 3. ipsum motum, & naturalem  
discurrendi actum. 4. In Logica artificiali sumitur  
tripliciter. 1. Latè & vulgariter pro omni mentis  
operatione artificiali, & sic pari passu cum tota Logica  
ambulat. 2. Strictissime tantum pro Syllogismo. 3.  
Strictè & medio modo, pro eo, quod unum axioma ex  
alio deducit & sic hoc loco accipitur.

In hac ultima acceptione, *Dianoia* sumitur quadrupliciter

1. Pro ipsâ Doctrina quæ tradit præcepta, quibus mentis discursus informa-  
tur & dirigatur, in unius ex altero & reliquis deductione, diciturq; Dianoi-  
a formans, & hæc Genus Syllogismi ac methodi statuitur. 2. Pro habi-  
tu seu promptitudine colligendi unum ex alio, qui crebris actionibus Dianoe-  
ticis acquiritur. 3. pro ipso actu seu actione discursiva, quam Dianoi-  
a formans seu doctrinalis dirigit & habitum promoveret. 4. Pro Effectu seu exem-  
plo iuxta præscriptum *Διαφορίδας* formato, quod Dianoi-  
a formata seu exem-  
plaris dici consuevit.

VII. Differentiam cætera Definitionis verba expri-  
munt, quæ ut clarius percipiatur, syllogismi principia  
annotanda sunt duplicia; sc: Interna seu constitutiva, &  
Externa seu directiva. Interna sunt quæ ipsam Syll-  
ogismi essentiam intrinsicè constituunt, qualia sunt Ma-  
teria & Forma ejus.

VIII. Materia Syllogismi est duplex, Remota, vel  
propinqua. Remota est ex qua Syllogismus intervenien-  
te alia propinquiori constituitur, quæ est quæstio & argu-  
mentum Tertium. Illa definiri solet, quod sit axioma dubium  
probationis indigens. Circa Quæstionem hæc notanda  
proponuntur.

1. Quæstio est duplex 1. Simplex, ad quam directè nõ  
respondetur per ita vel non, ut, quid est homo? Logica?  
physica? 2. composita ad quam directè respondetur ita vel  
non, ut, estne Logica discenda? Ethica proponenda? Hæc  
posterior in Definitione Syllogismi intelligitur nõ prior.  
2. Requisita quæstionis sunt 4. sc. Ut sit dudia, vel simpli-  
citer in se considerata, vel respectivè v. z. respectu hujus vel  
illius personæ: Nã fit interdum ut aliquis de eo dubitet quod  
alijs est manifestissimum. Nota: cum Quæstio dubia ad Syllogis-  
mum spectare dicitur, non est ita intelligendum, quasi ex  
manifestè verâ vel falsâ Quæstione non possit fieri Syll-  
ogismus; sed quod talis quæstio sc: dubia directè, per se ac  
primariò hic locum habeat; Quæ vero nulla eget pro-  
batione, ad tribunal Syllogismi præter necessitatem re-

vocatur, ut cum exercitij gratia quæritur: An sol luceat? An ignis inflammatus calefacit?*β*. Ut ad minimū una ejus pars cum argumento consentiat: aliās enim omnes propositiones fiunt negatæ. *γ*. Ut non sit intricata, ne plura de uno, vel plura de pluribus quærantur, ut: desijisti nē furari? *δ*. Ut careat ambiguitate, & certa partium ejus significatio sit.

3. Quæstio & conclusio realitèr non differunt, sed ratione: Nam idem axioma dicitur 1. Quæstio quatenus est materia Syllogismi constituendi, egens probatione.

2. Conclusio quatenus est materia Syllogismi constituti argumento tertio probata. Illius notæ sunt particulæ An, utrum &c. Hujus, Ergo, igitur, Ideò.

4. Quæstio nis pars antecedēs dicitur aliās Subjectū Quæstionis item Minor Terminus: quia cum Medio Termine dispositus in Syllogismo Simpliciter semper constituit Minorem Propositionem seu Assumptionem: Dicitur quoque Minus extremum, ob eandem rationem. Pars consequens dicitur prædicatum Quæstionis, item Major Terminus seu Major Extremum; quia iunctus Medio constituit Majorem Propositionem.

IX. Argumentum tertium est, quod Extrinsecus assummitur ad Quæstionem probandam, vel refutandā. De hoc 8. notanda veniunt: 1. Dicitur Tertium: quia Quæstio duo continet argumenta, quorum respectu hoc argumentum, Tertium nuncupatur. 2. Alias dicitur Medius Terminus, vel absolutè Mediū: quia est mediū quoddā in quo termini Major & Minor consentiunt vel dissentiunt. 3. Dicitur Ratio, quia est causa seu ratio cur Quæstio sit affirmanda vel neganda. 4. Argumentum Tertium semel in propositione & semel in Assumptione est disponendum. 5. Quot sunt Medij Termini in syllogismo, tot etiā potestate sunt

Syllogismi. 6. Argumentum non erit ambiguum :  
nam fiunt 4 in Syllogismo Termini. 7. Prior & no-  
rior suo modo erit Quæstione: quia est causa & probatio  
conclusionis. 8. Argumentum nec subjectum nec  
Prædicatū Quæstionis præcisè; sed hoc illi convenire, vel  
non convenire probat.

X. Materia propinqua est, ex qua proximè consti-  
tuitur Syllogismus absolviturq; partibus duab. scil. An-  
tecedente & consequente. Illa duab. constat partibus  
scil. Propositione, in qua tota Quæstio, vel saltem ejus  
pars consequens cum Argumento Tertio disponitur; &  
Assumptione, quæ è Propositione assumitur. Nota:  
Assumptio aliquando Tota è propositione assumitur,  
ut fit in Syllogismo composito; Aliquando pars ejus no-  
biliores saltè assumitur è propositione ic: Argumētū Tertium  
ut in Syllogismo simplici, & tū fit denominatio à potiori,  
& per Synecdochen, hæ simul sumptæ dicuntur etiam  
præmissæ. Hæc scil. pars consequens est, quæ com-  
plectitur partes Quæstionis, eamq; concludit, undè &  
conclusio & complexio dicitur. Et hæc de Materia  
Syllogismi.

XI. Forma Syllogismi est apta præmissarum & con-  
clusionis dispositio. E. g. O. Animal est substantia,  
O. homo est animal E. O. homo est substantia, Hic  
Quæstio est, An homo sit substantia? Affirmatur hoc  
argumento Tertio: Quia est animal, hic homo est pars  
Antecedens Quæstionis, substantia pars consequens, Hæc  
cum Argumento Tertio in propositione; Illa cum eos-  
dem Argumento in Assumptione disponitur, Hinc con-  
clusio posita legitime & necessario inferitur.

XII. Hic apprimè notandū, quod ex legitima  
partium Quæstionis cum argumento in præmissis, dispo-  
sitione



sitione, necessariò inferatur conclusio, non necessitate consequentis seu Materiae, quippe quæ ratione formæ non attenditur, Sed consequentia quæ vñ solius Formæ infertur, sive itaq; Materia Syllogismi sit necessaria, sive contingens, &c. si termini fuerint legitime dispositi necessariò inferatur illa conclusio, sive in se considerata sit necessarium Axioma, sive contingens, sive falsum & impossibile. Nota: Ut Syllogismus dicatur absolutè bonus, bonam & veram habere consequentiam, ac verum à falso distingvere, non sufficit bonitas Formæ; sed tam veritas Materiae quam bonitas Formæ requiritur, neutra sola sufficit. Sed ut vitiosus dicatur Syllogismus, sufficit alterutrius vitium. Haftenus fuere Syllogismi principia Interna: Succeedunt nunc Externa.

XIII. Principia Syllogismi Externa, quæ aliàs *directiva* & *canonica* appellantur, sunt, quæ formæ Syllogisticæ fundamenta exhibent. Et hæc sunt primaria, vel secundaria. Primaria sunt DICTUM DE OMNI, DICTUM DE NULLO, & Duorú in uno Tertio convenientia, vel disconvenientia.

XIV. DICI sive DICTUM DE OMNI est, quando nihil potest sumi sub Subiecto, cui non tribuitur prædicatum, vel sic: Quidquid verè de aliquo universalitèr affirmatur; id etiam affirmatur de omnibus sub eo contentis, HOC DICTUM DE OMNI est fundamentum Syllog. affirmantium, ostendit enim DICI DE OMNI, quomodo id, quod de subiecto in propositione verè universalitèr ac affirmatè prædicatur, de eo, quod sub subiecto in Assumptione sumitur, prædicatur in conclusione. E. g. O. animal sentit Hic  $\propto$  sentit verè universalitèr ac affirmativè prædicatur de animali & sub animali continetur homo: rectè n. dr, O. homo est animal. E.  $\propto$  sentit, etiã rectè

de homine in conclusione affirmatur, ut queam dicere:  
E. O. homo sentit.

**XV.** DICI seu DICTUM DE NULLO est, quando nihil potest sumi sub subiecto, de quo prædicatum non removetur. Vel sic: Quidquid verè de aliquo universalitèr negatur, id etiam negatur de quovis sub eo contento. **HOC DICTUM DE NULLO**, est fundamentum Syllog. Negantium, ostendit enim quomodo id, quod de subiecto verè ac universalitèr in propositione negatur, de eo, quod in assumptione sub subiecto sumitur, sit negandum in conclusione. E. g. N. animal est inanimatum. Hic Tò inanimatum verè ac universalitèr negatur de animali & sub animali continetur Homo, rectè enim dr. Homo est animal. E. Tò inanimatum rectè etiam de homine in conclusione negatur, ut possim dicere: E. N. homo est inanimatus.

**XVI.** De hisce duobus Dictis, hæc notanda proponuntur:

1. Sub Subiecto sumi, hic dr. id de quo subiectū prop. in Assumptione prædicari potest in casu recto, quale quid est pars subiectiva; excluduntur itaq; partes Essentiales & integrales aliaq; de quibus in casu recto subiectum propositionis in assumptione non prædicatur. Sic sub animali rectè sumitur homo; hic enim species animalis est. At sub animali non rectè subsumitur corpus organicum & anima sentiens vel rationalis, item: Caput, cor, epar, vel manus, pedes: Quia animal de hisce in casu recto non prædicatur. Vitiosus itaq; est hic Syllog.

O. homo est animal: Anima rationalis est hominis.  
E. anima Rationalis est animal: Nam anima rationalis non est homo; sed pars hominis, Et quidem essentialis formalis; non subiectiva,

2. Subiectum, cuius hic fit mentio

mentio, aliquando non est latius, sed quandoq; æquale subsumpto, sive eo, quod subsumi dicitur. E.g. O. Rationale est risibile. O. homo est rationalis E. O. homo est risibilis. 3. In hisce dictis est processus discursivus naturalis, quem ars non evertit; sed perficit & excolit. 4. Hæc Dicta sunt principia nobiscum nata, quæ non egent Demonstratione, & si in dubium à quoquam vocantur; Is inductione convincendus est. 5. Hæc Dicta primariò conveniunt 1. Figuræ quia in hæc fit processus à genere ad speciem. Scundariò v. 2. & 3, Figuræ Syllogismis, quatenus hi ad 1. reduci possunt. 6. Rigorose loquendo, Hæc Dicta non conveniunt Syllog. Proprijs, ut ex dictis constare potest, in quantitate, hi in virtute inferendi cum universalib. conveniunt, vim aliquam horum Dictorum sentiunt.

XVII. *Quæcumque conveniunt in uno Tertio, illa inter se conveniunt; Et quæcumque in uno Tertio dissentiunt, illa inter se dissentiunt.* Prius principium est fundamentum Syllogismorum affirmativorum; Posterius negativorum.

De hoc canone sequentia sunt observanda.

1. Vox *Quæcumq;* notat argumenta seu Majorem & Minorem Terminos, qui conveniunt, vel disconveniunt in aliquo Tertio. 2. Per *Tertium*, in quo duo convenire, vel dissentire dicuntur, intelligitur Argumentum Tertium, seu Medius Terminus. 3. Non est necesse ut essentialis nex⁹ sit inter ea quæ conveniunt in aliquo Tertio, sufficit si alterum de altero suo modo affirmatè prædicari possit. Nota: Dixi suo modo: quia multa in uno Tertio conveniunt ac propterea inter se conveniunt, vel ut diversæ naturæ respectu unius suppositi; vel ut causæ respectu unius Effecti; vel ut Effecta resp. unius causæ;

vel ut Adjuncta resp. unius Subjecti; & vicè versâ Subjecta  
 resp. adjuncti; Vel ut partes Subjectivæ, Essentiales, aut Inte-  
 gres in uno Toto, quæ tamen directè & in abstracto de  
 se invicem non statim affirmatè prædicantur. Sic a-  
 nima rationalis & corpus organicum conveniunt in uno  
 Tertio scil. Homine, sed ut partes essentielles, ac propte-  
 rea non licet dicere: E. Corpus organicum humanum  
 est anima rationis: Benè tamen possum sic discurrere:  
 Homo habet animam rationalem, Homo habet corpus  
 Org. hum. E. quidam qui habet Corpus org. hum. há-  
 bet etiam animam rationalem. 4. Tertium illud erit  
 aut Singulare; aut Universale, ita ut alterum vel utrumq;  
 eorum de eo universalitè prædicari possit; nõ v. particu-  
 lare, sic non valet, quoddam animal est homo, quoddam  
 animal est bestia, E. quædam Bestia est Homo, quia neq;  
 homo neq; bestia universalitè de animali prædicatur.  
 5. Quæ dissentiant in uno Tertio, illorum alterum cum  
 illo consentire debet, alterum non: nam si neutrum cum  
 Tertio illo convenit malè in eo dissentire dicuntur. Sic  
 Homo & Bestia non rectè dissentire dicuntur in Lapide:  
 quia lapis nec cum bestia nec cum homine convenit, tan-  
 quam Tertium dissentionis. 6. Licet canon hic sit prin-  
 cipium generale omnium Syllogismorum, tamen ejus  
 vis maximè conspicua est in Syllogismis Singularibus &  
 Expositoriis.

XVIII. Ex tribus positis principijs alia fluunt quæ  
 etiam singularem mereantur observationem: quia illis ne-  
 glectis, ex veris Præmissis falsa inferitur conclusio, & pec-  
 catur in formam Syllogisticam, unde tales Syllogismi  
 rectè rejiciuntur tanquam inepti & responsione indigni;  
 itaq; principia Syllog. Externa Secundaria sunt hæc se-  
 quentia.

XIX. *In Syllogismo (Manifesto) sunt tantum tres Termini.* Quia quæstio duos continet Terminos, Argumentum est Terminus Tertius, quo illorum consensus vel Dissensus probatur, si plures sunt oritur confusio & *ἀσυνλογισία*; Fundamenta illa tria, etiam trium tantum Terminorum faciunt mentionem.

Hic sequentia notanda occurrunt:

1. Si terminus aliquis aliter in una quam alia propositione accipitur, sunt 4. Termini implicite, quod diligenter cavendum. 2. Synonyma Grammatica non faciunt 4. Terminos si unum pro altero ponatur. E. g. Gladius est instrumentum ferreum. Hæc res est Ensis. E. 3. Non est necesse ut Tres illi Termini realiter distingvantur, sufficit distinctio rationis, ut apparet cum Syllogismi ex essentia divina & eius attributis conficiuntur. 4. In Analogiis & similibus ratione comparationis sunt 4. Termini; At ratione illationis Syllogistica tantum tres. e. g. ut se habet Sopor ad fessos ita carmen tuum se habet ad nos, At ille est gratus. E. hoc nobis gratum est. Hic *ὡς ἕσθαι* unum continet Terminum; alterum *Ἀπόδοσις* Tertius est gratus vel gratum esse. Idem contingit in Syllog. Composito, quando argumentum est integrum axioma quod unius Termini habet rationem.

XX. 2. *Medius Terminus non debet ingredi conclusionem.* Quia Medius Term. est causa efficiens conclusionis seu ratio cur predicatum conclusionis conveniat vel non conveniat subjecto. Deinde Medius term. non ingreditur Quæstionem, Ergo neq. conclusionem: nam Quæstio & conclusio realiter non differunt. Nota: Intelligendus venit canon de Medio actualiter considerato; non potestate & virtualiter, & quidam quoad eundem conceptum. Sic bonus est hic Syllog. O, animal

mal est substantia O. homo est animal. E. O. homo est substantia; quia Med. term. Animal, actu & quoad vocem non ingreditur conclusionem, licet quoad rem homini includatur.

XXI. 3. *Ex puris negativis (vi formæ) nihil sequitur.* Nam tales Syllogismi non quadrant ad DICTUM DE NULLO, nec ad Tertium Fundamentum: Medius Terminus tunc non est causa conclusionis. Ex veris quoq; præmissis falsa infertur conclusio. Observandum canonem loqui de negatione critica seu axiomatice; non topicæ, quæ cum propositione affirmatâ bene consistere potest, ut ex doctrina Axiomatum notum est.

XXII. 4. *Ex puris particularibus (vi formæ) nihil sequitur.* Quia tales Syllogismi peccant contra tria illa Syllogismorum fundamenta prius exposita. Et 4 ut plurimum involvunt Terminos. Notandum particularitatem hic non esse dignoscendam ex signis quantitatis, quæ axiomatis quantitatem non variant; sed ex particulari Terminorum inter se convenientia, vel Disconvenientia.

XXIII. 5. *In propositionibus Syllog: fit idem prædicationis genus* Quia secus fiunt 4 Termini in Syllog. Et ex veris præmissis falsa colligitur conclusio.

Nota: Genus prædicationis multis modis mutari potest: 1. Cum Notiones primæ confunduntur cum secundis. Ut: animal est genus, Plato est animal, E. Plato est genus. 2. cum transitus fit ab uno in aliud prædicamentum, ut carnem emptam comedisti, E. crudam. 3. cum Termini aliter in diversis propositionibus accipiuntur. Ut canis est animal, Sydus caeleste quoddam est canis, E. 4. cum Termini abstracti & coneretivi confunduntur. Ut: Albedo est color. Paries est albus, E. paries est albedo. 5. Cum casus recti & obliqui confunduntur, ut: Dominus est qui habet subditos. Servus est Domini, E. servus habet subditos. 6. cum prædicationes Regulares & Inæquitæ confunduntur. ut: caro est creatura.

λογος εστι ος.

**XXIV.** 6. *Non sit plus vel minus in conclusione,*  
*quam in præmissis cum Argumento Tertio fuit dispositum.*  
 Quia Quæstio & conclusio re non differunt. Si  
 itaq; minus est in conclusione quam in præmissis cum ar-  
 gumento fuit dispositum, tum non concluditur tota quæ-  
 stio; Si verò Magis est in conclusione, etiam plus con-  
 cluditur quam fuit in quæstione. Contra hunc cano-  
 nem peccatur cum Numerus singularis convertitur in  
 pluralem. Ut: ignis est calidiss. Ignis est Elementum  
 E, quædam Elementa sunt calidissima. Deinde cum in  
 conclus. ponitur conditio, quæ non fuit in præmissis vel  
 aliud, præter id, quod dispositio legitima requirit. Valet  
 hic canon 1, De Manifesto Syllog. non Cryptico: nam  
 in Enthymemate, Sorite, &c. Minus est in conclusione, quã  
 in præmissis. 2. De partibus Materialibus Syllog non  
 v. de particula Ergò & similibus. 3. De conclusione,  
 quæ præcisè ex præmissis sequitur non de ijs, quæ per  
 consequentiam ibi ponuntur.

**XXV.** 7. *Conclusio (in Syllog. Simplici) debet i-*  
*mitari partem debiliorem.* Aliàs ex veris præmissis fal-  
 sa inferitur conclusio. Nota: 1. Negativa est debilior af-  
 firmativa: Quia illa nihil certi ponit; hæc verò ponit,  
 & ex hæc potest alia aff. vel negata inferri. 2 Particularis  
 est debilior Universalis: Quia sub particulari non potest  
 determinatè aliqua subsumi, & ex particulari inferri;  
 At ex universalis potest & particularis & universalis colligi.  
 Tantum de Syllog. Principijs tum Internis tum  
 externis; nunc Syllogismi Divisio perpendenda.

**XXVI.** Syllogismus in genere dividi potest. 1. Se-  
 cundum Affectiones. 2. Ratione perfectionis, 3. quos  
 ad Essentiam in species?

**XXVII.** Syllogismus secundum Qualitatem est af-  
 firma-

firmatus, qui virtute præmissarum infert conclusionem affirmatam. Et Negatus qui virtute præmissarum infert conclusionem negatam.

Secundum Quantitatem est Generalis. Qui constat præmissis generalibus. Vel particularis, qui altera præmissarum generali, altera speciali constat. Vel proprius, qui præmissis singularibus constat.

XXVIII. Ratione perfectionis, Syllogismus est Manifestus, cujus omnes partes legitimo ordine & numero perfectè ponuntur: Vel Crypticus, in quo secus fit.

XXIX. Quoad essentiam Syllogismus in Simplem & Compositum dispescitur. *Atq; hac pro ingenij modulo, hac vice, protulisse sufficiant.*

SOLI DEO GLORIA.

*Eximij parentis eximia spei filio,*

DN, STEPHANO STEPHANI LIPPIO

De Syllogismo acutè disputanti;

**L** Tidius ille Lapis, cujus datur usus in omni  
Arte; Logismus est is munera quanta parit,  
Tota Sophia tenet. Tenet id STEPHANUSq; politus:  
*Hinc de ipso doctè disputat atq; benè.*

Volente ac prompto animo, licet invitâ minervâ, occupationibus obrutus adiecit.

MICH. OL: WEXIONIUS

Jur: & Pol, Prof, P.

**A** Rtes assiduus pergis perdiscere Claras,  
Egregiè tentans culmen adire Sophum.  
Pergito! sit studium tibi Felix, intime LIPPI,  
Successumq; bonum det tibi cunctipotens?

Honoris debiri ac amoris declarandi causâ  
Candidè velificabatur

JACOBUS FORLADIUS